

sum, ut motus, qui inde timebantur, compefceret, sub finem ejusdem orationis Cicero testatur. *Q. Mesellus, quem ego prospiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumque premisi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus, conatusque prohibebit.* Imo Pisarenfes ipsos Catilinæ partium fuisse haud obscure in orat. pro Sextio innuit, ad quos sollicitandos, seu confirmandos M. Aulianum a conjuratis missum fuisse scribit. *Idem (P. Sextius) quum illa conjuratio ex latebris, atque ex tenebris erupisset, palamque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam, quam urbem propter plurimas belli opportunitates ab illâ impiâ, & sceleratâ manu attentari suspicabamur, & inde M. Aulianum Tribunum Militum Antonii Capuâ præcipitem ejecit, hominem perditum, & non obscure Pisauri, & in aliis agri Gallici partibus in illâ conjuratione versatum.* Causa profecto nulla fuit, cur M. Aulianus Pisauri versaretur, nisi si Pisarenfes illarum partium fuissent: causam item nullam video, cur Pisarenfes eas partes defenderint, nisi quod Sullani Coloni fuerint, & ad novas res, ut est militum genus avidum, atque rapax, quæstus ac lucri, & ut ait Cicero ead. Catil. II. *veterum rapinarum spe ducerentur.* Ac si quis contenderet *Felicis cognomen, honorariam, atque additiam,* ut ait Fabrettus pag. 105. Inf. Dom. *nuncupationem* fuisse, quam Pisarenfes Colonia suæ pro arbitrio imposuerint, quod fieri consuevisse, & testantur marmora, & lib. LIV. queritur Dio, is profecto sententiam mutare cogetur, si atatem nostræ Inscriptionis consideraverit, quæ priorum Cæsarum ævo utique insculpta fuit, ut superius monuimus: Inscriptiones enim, quas Fabrettus recitat, longe inferioris ætatis sunt, & Dio, ut ait Mazochius, *de suâ id atate exposulat.*

Ex altero IVLIAE cognomine a C. Cæfare iterum deductam Coloniæ Pisaurum putavit Mazochius, cujus verba descripsimus; de tempore autem deductionis, ne verbum quidem. Ter Cæfarem Colonias deduxisse ex historiis discimus. Primum in eo Consulatu, quem collega Bibulo gessit. Deinde A. U. 707. ante bellum Africanum, ut ex Dionis lib. XLII. & Sveton. cap. 38. observavit Emsus Norisius—Cenot. Pis. Dif. I. cap. 2. Tertio demum A. U. DCCIX. bellis civilibus confectis. Priores duas agrorum divisiones civilibus Coloniis factas existimat Emsus Scriptor loco citato. De prima non est ambigendum: tunc enim lege Juliæ Stellatæ, & Campanum agrum divisit. V. Mazoch. cit. cap. I. §. 2. De secundâ

R

cundâ